# ILLVSTRISSIMO D.D. CAROLO BELLONO

SVPREMI SENATVS MEDIOLANI CLARISSIMO REGENTI,

QVONDAM, IN EXCELSO ITALIÆ AREOPAGO (APVD REGIAM) INTEGERRIMO CONSILIARIO.

EXhilarasti patrem litteris, cui tam magna præconia de *Iosephi* laudibus annuntiasti. Promotus ille sacris codicillis, ad Supremum Mediolani Senatum, gratiorem sese alijs, clementiæ tuæ reverenter exhibuit: Tu vero Senatus Princeps non dedignatus (1) augeri patrium conventum (2) peregrino lumine dignitatis. Expensis solius *Casiodori* grates aureas tibi retribuo. Patienter exaudi, quæ de candidato rescribat Italiæ Regum, & Romulei Senatus Encomiastes.

Evocatus de Salamantino Lycæo, ad stadium forense Celtyberiæ, juris crebris adoreis redimitus; itâ causas clientum fœliciter perorabat, vt nulla (3) desperata crederetur, eius vocis gloriosæ confissa munimine: Si defecato sermone opus erat, (4) jurgantes sitiebant eius, nitorem, facundiæ. Augebit eloquentiam (5) meliori officio ditatus: maiora enim Regis Consilio fastigiatus præstabit, (6) qui in advocationis studio itâ refulsit. In commitijs provincialibus, quibus præfuit Excellentissimus D. D. Petrus Antonius ab Aragonia (attavis Regibus successor inclytus, Regnantum solio assuetus lucère) intrepidus regijs militavit. (7) af-

# MAGNVS, AVRELIVS CASSIODORVS, PATRICIVS, CONSVL, AC SENATOR ROMANVS.

TRIGINTA, ET QVINQVE EPISTOLARVM fragmentis, Epistolam hanc illustrat ex asse.

(1) *Casiodorus lib. 3. variar. Epist. 6.* Delectat peregrini germinis Viros, græmio libertatis inserere; vt varijs frōdescat *Senatus* Aula virtutibus.

(2) *Idem lib. 8. Epist. 19.* Licèt cœtus vester genuino splendore semper irradietur, clarior tamen redditur, quoties augetur lumine dignitatum. Nam Cœlum ipsum Stellis copiosissimum plus refulget. Et de numerosa pulchritudine, mirabilem intuentibus reddit decorem: Prata denique floribus pinguntur innumeris; Laudatur pinguis arvi densior seges. Antiquitas vos fecit Nobiles haberi. Nos *Senatum* volumus de numerositate prædicari.

(3) *Idem dicto lib. 8. Epist. 19.* Et advocationis suæ, sic assiduè crebras egisse Victorias, vt meritò sibi cum electio triūphalis asciverit, quatenus palmis fœlicibus inauguratus vobis daret omina laurearum, & *post.* Orator facundus, gravissimus Patronus, susceptas causas suis præconijs adjuvabat; quando credi non poterat negotium desperatum, cui talis videbatur assistere.

(4) *Idem lib. 9. Epistol. 24.* Nam cum opus esset eloquio defecato, causa tuo protinus credebatur ingenio.

(5) *Idem lib. 5. Epistol. 22.* Augebit eloquētiam, officio meliore ditatus; quoniam multum facundior est, qui sententiam dictat, quam ille qui supplicat.

(6) *Idem lib. 11. Epistol. 4.* Nam si in advocationis studio Iustitiæ claritate, ita fulsistis; quid non provecti ad Consilia nostra facietis?

(7) *Idem lib. 5. Epistol. 41.* Suscipite itaque Collegam, quem palatia nostra, longâ examinatione probaverunt; qui Regijs, itâ intrepidus militabat, affatibus, vt jussa nostra, sæpè Nobis expectantibus, atque laudantibus explicaret.

(8) *Idem dict. lib.* 11. *Epist.* 4.
Quando iam habendus est in judicium parte, qui meruit Potestatib⁹ Aulicis assidere: Ornetur ergo subsellia, cuius ore fora tonuerunt.

(9) *Idem lib.* 4. *Epistol.* 3.
In ipso quidē adolescētiæ flore, Palatia nostra meritis maturus intravit; & quod robustas quoque fatigat ætates, nullo deceptus novitatis errore, ad imperātis conversus arbitrium, effectum bonarum præstitit jussionum.

(10) *Idem lib.* 4. *Epistol.* 25.
His ergo desiderijs pietas se nostra libenter indulget, qui etiam in spem erigimus vota marcentia.

(11) *Idem libr.* 3. *Epistol.* 5.
Et cani honoris Infulis, adultam cinge Cæsariem, qui meritorum laude, ætatis præjudicia superasti.

(12) *Idem lib.* 9. *Epistol.* 22.
De illo nefas est ambigi, qui meruit eligi principali judicio. Non enim quidquam, aut odio decernimus; aut pellecti aliqua gratificatione laudamus: Electio nostra de meritis venit: & tanto quis regali animo proximatur, quanto bonis studijs societati conjungitur.

(13) *Idem lib.* 8. *Epistol.* 18.
Habes priscos Viros, quos te deceat immitari. Præcede fama, quem sequeris dignitate.

(14) *Idem lib.* 5. *Epistol.* 3.
Non extranea secteris exempla, cui domestica suppetunt, tam magna præconia.

(15) *Idem lib.* 3. *Epistol.* 12.
Scitis enim sæpè ex hac familia Viros enituisse præcipuos. Recordamini provecti *Avum* perfecti dogmatis honore ditatum, cuius maximam facundiam fora mirata sunt.

(16) *Idem vbi proximè.*
Accedit provecti nobilissimus *Pater*, qui cōmittivæ privatarū infulas, nullius acerbitate calumniæ profanavit; qui affectās famæ commoda, pecuniæ necglexit augmenta.

(17) *Idem lib.* 8. *Epistol.* 21.
Sic fœtus tui more Aquilæ se probātes, regales oculos, ab ipsis pene cunabulis pertulerūt.

(18) *Idem lib.* 3. *Epistol.* 6.
Quia non sunt de vobis examina nostra sollicita; dum præjudicata bona transfunditis, qui merita, cū luce præstatis. Origo ipsa jā gloria est: Laus nobilitati connascitur: Idem vobis Dignitatis, quod vitæ principium: *Senatus* enim honor amplissimus vobiscum gignitur, ad quem vix maturis ætatibus pervenitur.

*Idem*

affatibus, in suo stamento Nobilium, & sacra jussa etiam expectante, atquè laudante Principe expedivit: Compar judicantum habetur, (8) qui potestatibus aulicis meruit opem ire: Ornentur ergò Mediolani Subsellia, cuius ore fora Celtyberiæ tonuerunt.

Iuventutē Senatoria (9) nè mirere; dignatur enim Celsitudo Principalis (10) marcentia vota in spem erigere; si cani honoris, (11) infulæ adultam ornent Cæsariem; Ambigendū quippè nèfas, de eo, quem Regiæ mentis (12) sublimat judicium. Priscos etiam gloriatur (13) de stirpe Senatores, quorū domestica (14) sectetur exēpla: Avum maternum (15) Doctorem D. *Ioannem Arroniz de Punzano*, Aulæ Criminalis Decanum, post inquisitoris officialium Regalium, eminenter exactā præfecturam: *Patrem* (16) Regiæ Cancellariæ Præsidem, post egregios fasces, Curiæ Iustitiæ Aragonum (nullis precibus elargitos) & Regij Fisci Advocationem fœlicem. Aquilarum fœtus (17) ab incunabulis radios Solis arroganter inquirunt, vt Regales oculos ostentent: Sola origo (18) nascendi de Senatore laus est, quibus merita præstantur cum luce. Patruus magnus Senatoris, *Ioannes Franciscus*, cum Sol Philosophiæ radiaret Salmanticæ, & trium linguarum celebraretur Magister, luce florenti invenit occasum: Iacet in Æde Cathedrali sepultus, queis fata posteris nobilius anagramma peperere, siquidem *Leyza, y Eraso*, nomen gentilitium, *Sol era, y yaze*, puris syllabis enuntiatur.

Pulchrescit Senator de Germanis honoribus, nulla vicinitate sordescens, (19) D. *Ioanne* fratre (20) Ca-

Canonico Metropolitanæ Sedis Augustæ. *Bernardo* (21) purpurâ Insignito in Collegio Maiori Salmanticæ Archipræsulis Toletani; qui fortunam altiori Sede locat; famâ Olympo exęquat;& claritatem prolis, quam miscet superis, adsociat astris. Verum (22) inter hęc stupenda meritorum, Domus, quadrata, ex quatuor angulis, Cantabriæ venustate resplendet, vt hæreas quo latere ditior. Proavus Maternus *Valerius de Haro* iactitabat (23) Regium sãguinẽ, cognatis insignibus, rebus iudicatis; Teste Senatu (24) cõprobasse. Hæc sunt distributa, (25) pręconiũ, cõjũcta? miraculũ. Accusarentur sæcula nostra, (26) si tã illustris potuisset latere familia: nesciri potest, (27) vulgare hominũ genus: Ignorari nequit Proles Senatus: Tumescat alij solas habere (28) divitias, in hac domo, hæreditas aditur, ex virtutibus; & in eâ vt in noto lare, (29) fasces erexere domicilia.

Vicit maiores fęlicitate sæculorũ, (30) adimplens atria trabęis cõsularibus, sinè Provinciæ (31) fastidio, & generis novitate: Et quod magis est, sub auspicijs (32) Invictisimi Regis Caroli Secũdi: cuius Serenitudo Germana; nec bellis atteritur, (33) nec lõga pace mollitur. Hæc, aurea sæcla renovans Saturni, traxit Monarchię gloriã, amicitiã Gallię, Battavię requiem: Effudit Brittaniæ lucem, Hispaniæ pacem. Quid si fortuna liceret Temporibus Innocentij XI. Pontificis Maximi; qui *Mediolani* Patricius, Dominicum Gregem, (34) Orbis Catholici, sanctitate pascit, & Tryumphantis Ecclesiæ claves aureas potestate regit? Beatior esset Senatoris fortuna, tuùm ex tempore, quùm Dignitate. Atquè ideò (35) Illustris Magnificentia tua *Iosephum*, Parentum

tum

(19) *Idem lib. 5. Epistol. 40.*
Gemmarum divites venæ, auri fulgore præciantur; & gloriã pulchritudinis capiũt; quia nulla degeneri vicinitate sordescunt: Sic bòna merita, splendidis Dignitatibus sociata, alternis præconijs adjuvantur; & vnius rei facies de adjuncta venustate pulchrescit.

(20) *Idem lib. 9. Epistol. 22.*
Huic denique generi faverunt superna, præstando desiderijs patrũ, fœlicia generanascu-lorum.

(21) *Idem dict. lib. 9. Epist. 23.*
Educavit enim liberos nulla discretione laudandos; pondere moderationis æquales; ingenij vivacitate consimiles; & morum societate verè germanos.

(22) *Idem lib. 4. Epist. 3. in fin.*
Verùm inter hæc stupenda meritorũ originis quoquè simili claritate resplendet, vt hæreas, quâ parte sit ditior; cum copiosus vtraque possideat.

(23) *Idem lib. 10. Epistol. 11.*
Annitius, penè Principibus pares ætas prisca progenuit; quorum nominis Dignitas, ad te sanguinis fonte perducta, collectis viribus hilarior instaurata rutilavit.

(24) *Idem lib. 6. Epistol. 4.*
Ad omnia tali suffragio eris nihilominus dignus, si actionem tuam laudet *Senatus*. Perfecta enim rei fides est, vbi consentanei testes, probantur esse Summates.

(25) *Idem lib. 4. dict. Epist. 3. in fine.*
Habebuntur ergo sigillatim distributa præconium, iuncta miraculum.

(26) *Idem d. lib. 10. Epist. 11. circa finem.*
Accusarentur sæcula, si talis potuisset latere Familia.

(27) *Idem lib. 9. Epistol. 22.*
Non vereamini *absentes*, nec sitis de Principis ignoratione solliciti. Latere potest forsitam vulgare hominum genus; nesciri non potest proles *Senatus*.

(28) *Idem lib. 9. Epistol. 23.*
Iactent se alij possesione locupletis summũquè putent, bonas solas esse divitias: In hac autem Domo, non tantum patrimonijs, sed & virtutibus aditur hæreditas.

(29) *Idem lib. 3. Epistol. 5.*
Elaboratæ sũt lõga ætate, vestri generis dignitates, quæ notisimo quodam habitaculo, lares in vestrâ possuere Familia.

(30) *Idem lib. 9. Epistol. 23.*
Vt juventus eius, quæ fulget meritis, trabæa

quo-

quoque respódeat triumphali. Hunc honoré Deciorum Familia, non miratur, quia eorum plena sunt atria fascibus aureatis. Alijs rara Dignitas ista contingit: In hoc decursu generis, penè nascitur Consularis.

(31) *Idem lib. 9. Epistol. 22.* Et dum copia plurimum solet habere fastidium, vestrum nomen repetitum, semper efficitur gloriosum.

(32) *Idem lib. 5. Epistol. 41.* Vicit Majores suos fœlicitate sæculorum, & quod amplius: *Evectus est nostris tē poribus*; talis quippè est in subjectis mensura provectuú, qualis fuerit, & distantia Dominorum.

(33) *Idem lib. 11. Epistol. 1.* Nec assiduis bellis atteritur, nec iterum lógā pace mollitur. In ipsis quoque primordijs, (quando semper novitas incerta tentatur) contra Orientis Principis votum, Romanum fecit esse Danubium.

rum laude conspicuum, suâque gravitate, iam Senatorem excelsum, in album Sacri Ordinis gratanter adscribat, vt tanto cœtui proficiat numerus, & candidato de Sacro Ordine crescat ornatus. Æternum vale, & vive Status Mediolani bono communi; & Reipublicæ iugi sospitati. Cæsar-Augustæ pridiè Idus Martij, Anno Christianæ salutis M.DC.LXXIX.

*Deditissimus tuæ Illustrissimæ Dominationis,*

D. Iosephus de Leyza, & Eraso, Aragoniæ Preses Cancellariæ.

(34) *Idem lib. 11. Epist. 2.* Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis: Vos Patris nomine vniversa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam; cui divinitus est commissa custodia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem.

(35) *Idem lib. 4. Epist. 25.* Proinde illustris magnificentia tua Petrum parétum laude conspicuum, suâque gravitate iam *Senatorem* in album sacri ordinis secundum priscā consuetudinem curet referri, vt & tanto cœtui proficiat numerus, & candidato de sacro ordine crescat ornatus.